





Freiherr v. Ende-Altessewitz.

INI
De
An
A
A
ab
a
Bo
Be
Bo
Co
Co
co
cl
ci
c
c
c
c



INDEX ALPHABETICUS MATTE.

riarum hujus voluminis.

De appellatione A. regis. 15.	No.
De Allodiali jure Principum. 1.	1.
Inter Bulla controversie. 9.	9.
Anteferri clausula. 13.	13.
A ditione N. G. ex l. 37. de N. G. 20.	20.
A dore possidente. 35.	35.
Abfide de Soldatorum. 10.	
A quali Eccles. protectione imp. 8.	8.

B.

Bodmeria. 28.	28.
Beneficiali Expectativa cum clausula: anteferri. 13.	13.
Bona fide in prescriptione necessaria. 23.	23.

C.

Cruciarium Ducum et Directorum officio in l. perit. 45.	45.
Controversia potiores A. B. 9.	9.
Conduzione et conscriptione militum. 10.	10.
Correspondentiarum jure. 12.	12.
clausula: anteferri. 13.	13.
civitatib. pernicioso Mercimonio. 14.	14.
civitat. Pharmacopol. 15.	15.
confirmatione statutorum 16.	16.
pactorum 19.	19.
cessi nominis. Evictione. 24.	24.
captatorij. Institutionis 26.	26.
conditione turpi impleta. 27.	27.
conjuncta manu. 32.	32.

D.

De Directorum et Ducum Cruciarium jure & officio exequenti sententias imperiales. n. 4. 5.	n. 4. 5.
Dominio eminente quod aditor. 6.	6.
Donationibus P. Impij. 7.	7.
Dimissione militum. } 10.	
Disciplina militari. } 10.	
Divisiort. pactorum hom. militib. 18.	18.
Domini immunitate a periculo. 21.	21.

E.

Orietatis jure. 31.	31.
Executione sententiarum imperialium n. 4. 5.	n. 4. 5.
Eminente Dominio. 6.	6.
Ecclesiarum protectione imp. 8.	8.
Expectativa gratia cum clausula: anteferri. 13.	13.
Offendit non confirmatorum statutorum. 16.	16.
Extremis. 22.	22.
Evictione (essionis nominis. 24.	24.
Enodatio §. 2. de adiort. 35.	35.

custodibus. 36.

F.
De fide bona in script. necia. ^{nō.} 23.

G.
Non Omissio gaud. 32.
Gratia expectativa ad clau-
sura: anteferri: 13.

H.
Haeresis an sit crimen 29. i. b.
Homicidio lingue. 30.
Hyperophylacibus. 36.

I. J. ^{nō.}
De iure allodiali p. p. imp. 1.
investiendi staty imp. R. G. 2.
exequendi iustitias imp. 4. 5.
imp. p. p. donatio. 7.
imp. p. p. d. Ecol. utriusq.
Relig. equali. 8.
i. correspondentiā. 12.
i. circa pharmacopolia. 15.
i. circa Obrietatem. 31.
i. iure vario. 33. 34.
i. in lib. padu. Div. j. Rom.
in foris Germ. 18.
i. Rom. padu. vindicia. 17.
i. in lib. h. v. captatoris. 26.
i. in lib. h. v. o. d. i. v. e. 27.
i. in lib. h. v. o. d. i. v. e. 27.
i. in lib. h. v. o. d. i. v. e. 27.

K. &
Non Rustern. 36.
Angeboten. 10.

L.
De lingua homicidio. 30.
Leyge Morgenatica. 11.

De M
per
mili
Mor
me
ma

De
Neg
mi
L. J
Non
Non

De
offi
in
Opti

De pe
pra
pse
ov
pa
pad
pad
pba
Rin
pzo

nō.
1.
2.
5.
7.
m.
7.
6.
7.
1.

M.

De Militum condicione, conscriptione,
permutacione, redemptione, et dimissione,
militari disciplina. n. 10.
Morgenatica lege. n. ii.
Merimoniis Civitatis perniciose. 14.
Manu conjuncta. 32.

N.

De Negotiorum gestoribus active contraria
pupilli conventi. l. 37. d. N. 9. 20.
L. Nobiliores. 3. C. d. com. et mercat.
Non confirmatis statutis. 16. 14.
Nominis Evictione. 24.

O.

De officio Directorum & Ducum Graduarum
in Expeditione futuraria. 4-5.
Optione ad heredes transitoria. 25.

P.

De permutacione militum 10.
prestatore videlicet inceptioe. 24.
pseudoprius privilegio pupilli conventi
contraria actione N. 9. ad l. 37. 20.
padorum confirmatione. 19.
padorum Rom. Divy. in vtil. in
foris German. 18.
padorum p. Rom. vtilia. 17.
pharmacopol. civitat. 15.
Principu Imp. jure allodiali. i. Donavit. 7.
protectione aequali Imp. Eccles. 8.

De **R.**

Residentiarum sanitas. n. 3.
Rom. Paris. 17-18-19.
Ranzionierung der Soldaten. 10.

S.

De Sanitate Residentiarum. 3.
Sententiarum Imperialium
Executione n. 4-5.
Subditorum jure quod dominium
eminens. 6.
Soldaten Werb- firrollir,
Kraut- u. Ranzionierung. 10.
Statutorum non confirmatorum
effectus. 16.
Selediores positiones. 33. 34.

P.

De pernicioso Merimoniis Civitatis.
periculi immunitate. 21. 14.
Prescriptionis bona fide. 23.
Possidente Adore. 35.
Positiones / Selediores. 33. 34.
Programma Thomafij. 1. b.



T.
De Transitoria optione ad heredes n. 25.
Turpi conditione impleta. 27.
Templorum (Schönbibg.) 36.

U. V.
De Vario jure. 33. 34.
Vers. sane ^{uno} casu. s. de re. 2.
De adionib. l. 9. d. R. V. l. f. eod.
l. 15. d. N. O. N. l. 45. de damn. infest.
enodatio. n. 35.
H Verkaufsfung der Soldaten. 10.
H Vindicta patrum Rom. 17.
H

Legum Interpretatio.
ad Art. IV. Inst. P. Ryswicensis. n. 8.
ad C. Nobiliores. 3. C. de com-
merc. & Mercat. n. 14.
ad cap. Subtrahite. 7. de concess.
Præbendar. in 6. n. 13.
ad l. 37. de Neg. Gest. n. 20.
ad s. Equè. 2. vers. sane imo
casu. f. de adionib. l. 9. R. V.
l. f. R. V. l. 15. d. N. O. N.
l. 45. d. Damn. infest. n. 35.



IV.

THESES JURIS PUBLICI,
Oppositæ
Dissertationi Anonymi Autoris,
DE
OFFICIO DIRECTO-
RUM ET DUCUM CIRCULA-
RIUM IN EXECUTIONE
SENTENTIARUM,

Quas

Rectore Magnificentissimo,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

ELECT. BRAND. HÆREDE &c, &c, &c.

PRÆSIDE

DN.D. CHRISTIANO THOMASIO,

Conf. Elect. Brandenb. & Prof. Publ.

Publico Eruditorum Examine submittit

JACOBUS FRIDERICUS LUDOVICI,

Pomeranus, L. L. Studiosus.

d. XXIV. Novembr. M. DC. XCVII.

H. L. Q. C.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. SALFELD. Reg. El. Brand. Typogr.



V I R O
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET
CONSULTISSIMO,
DN. FRIDERICO
LUDOVVIEG,
Sereniss. & Potentiss. Elect. Brandenb.
Consiliario, nec non Rationum per Pomeraniam
Electoraalem Directori superiori atque
Commisario,

DOMINO PATRUI SUO, PARENTIS IN-
STAR JUGITER COLENDO,

In grati animi testimonium, ob plurima
ab ipso obtenta beneficia,


Hoc, quicquid est Exercitii Academici,
dicat & consecrat,

Simul verò se suaque studia perenni ipsius favori & bene-
volentiaè ulteriori,

cum seria omnis generis, & animæ, & corporis bonorum,
apprecatione, commendat,

*Ipsius Nobiliss. Amplitudinis de-
vinctissimus*

J. F. LUDOVICI.



B. C. D.

THESES JURIS PUBLICI,

oppositæ

Dissertationi Anonymi Autoris,

De

Officio Directorum & Ducum Circularium in Executione Sententiarum.

PROOEMIUM.



Non est animus, agere ex merito de Officio Directorum & Ducum Circularium in Executione Sententiarum, Ad id enim, pro re nata, & iis, quæ jam in ipsis reum argumentis obtinent, & jussus publicus, & subsidia plura, & elaboratio requireretur multò exactior, & ingenium majori eruditione præditum, quod utique Sapientioribus relinquimus. Saltem intentio est, examinare thesibus brevibus, & strictim, dissertationem Anonymi de illa materia non ita pridem publicatam, in qua, quamvis Autor ubique fere affectet singularem modestiam, atque præ se ferat mentem, ab omnibus partibus vacuum; cuilibet tamen putamus facile apparituum esse, eum reverà id egisse, ut Officium Directorum & Ducum Circularium

A 2

rium

rium in executione Sententiarum omnibus modis deprimeret. Id verò Autorem frustra fecisse, si obtinuerimus, nobis sufficiet. Veneramur submississima reverentia invictissimum Imperatorem, sed veneramur etiam veritatem & Leges publicas, ut potissimum vinculum inter caput & membra. Serio confidimus, Augustissimum Imperii caput præter alias, easque eximias, etiam illa virtute esse præditum, ut non ægrè laturum sit studium veritatis. Multæ sunt conjecturæ, quæ nobis firmiter persvadent, dictam Dissertationis Autorem, qui nec injuriâ, nec beneficio nobis cognitus est, quicquid scripsit, privata scripsisse autoritate. Parem licentiam nobis postulamus, qui & insuper libertate Academicâ sumus muniti. Sequemur verò pressò pede ipsos Auctoris paragraphos. Faxit Deus feliciter.

Paragraphi Auctoris.

§. I. Causa impulsiva scribendi hanc Dissertationem.

Thef. 1. Veram causam scribendi Autor evidenter dissimulat, quam, simul cum nostra intentione, jam exposuit prooemium.

§. II. De Origine Judiciorum.

§. III. De Executionum Judicialium necessitate.

§. IV. Potestatem exequendi cum facultate judicandi regulariter conjunctam esse.

Th. 2.

Th. 2. Quæ his tribus §. §. differit Autor, vel ideò à scopo & statu controversiæ aliena sunt, quod forma Imperii Romano-Germanici non pertineat ad regulam, sed ad exceptiones regulæ.

Th. 3. *Esto: rationem humanam usu & necessitate exigente, cum Dominiorum divisione introduxisse judicia. Esto: facultatem promiscuam juxta leges judicandi singulis abdicandam, uni personæ, aut Collegio, omnium loco committendam fuisse. Pertinent hæc ad regulam.*

Th. 4. *Esto: judicandi facultatem campanam sine pistillo representare. nisi cum facultate exequendi conjuncta sit. Esto: Sententiam, etiam iniquam, à judice latam, pro servando judiciorum honore, placidis potius representationibus, quàm violentis remediis impugnandam esse. Pertinent hæc ad regulam.*

Th. 5. *Esto: quod in supremis judiciis illi, cui judicandi facultas data est, non possit non simul potestas exequendi concessa intelligi, & quod hanc posteriorem succedaneam affectare nequeat, cui illa antecedens non competat. Pertinent & hæc ad regulam.*

Th. 6. Jam ab aliis, & à nobis alibi, evictum est, formam Imperii Romano-Germanici non esse regularem, sed vel, secundum plerosque alios, mixtam; vel secundum nos, irregularem.

Th. 7. Utram sententiam eligas, id in confesso est, jura Imperatoris & Statuum, atque sic etiam Jura Directorum & Ducum Circularium, non ex regulis Politicis formarum, regularium, aut simplicium, deducenda esse, sed ex statu ipso Imperii & Legibus ejusdem fundamentalibus. (Neque adeò ad merum Jus Naturæ, aut Gentium, hic commodè respici potest. Quod hic obiter notare liceat.)

Th. 8. Convenienter ad rem præsentem ipse Autor in fine §. IV. *aliarum gentium mores in jure dicendo hic intactos relinquit. Nam nihil illi mores ad rem præsentem.*

Th. 9. Quæ subjungit : *In Imperii Romano-Germanici judiciis supremis & eorum sententiis exequendis Directores, ac Duces Circulorum, ad requisitionem judicis & Partis in subsidium concurrere, obscure & ambigüe dicta sunt. Discutiemus ad §. VI. seqq.*

Th. 10. Quod porro addit : *In Judicium subalternorum sententiis Directores, vel Duces Circulorum, partes suas ad earum executionem non facile adhibere, nisi etiam per Judicia suprema ipsis facultas exequendi committatur, huc non pertinet, cum quæstio primaria sit de potestate Directorum & Ducum, in executione sententiarum, à judiciis Imperii supremis latorum.*

Th. 11. Non observat officium boni Disputatoris, qui non sollicitè format statum controversiæ. Plane id neglexit Autor, atque multa hic monenda studiò omisit.

Th. 12. Nam ad ritè formandum Controversiæ statum, neque hoc sufficiebat, observare, sermonem esse de sententiis judiciorum supremorum; sed conduxisset utique, distingvere inter sententias Cameræ & sententias judicii Aulici. Majorem enim de his, quàm de illis, conquerendi causam Statibus Circulorum subinde esse suppeditatam, vel scripta in causâ Donawertensi, & partim à Londorpio collecta, docere poterunt.

Th. 13. Quin & multò specialius videbatur Autori Dissertationis restringenda quæstio, quàm olim in causâ Donawertensi ventilabatur. Ibi quærebatur in genere, an sententiæ judicii Aulici possint per alios, quàm Circuli Directores, aut Duces, executioni mandari. Minima circumstantia variat jus. Quid? si jam quærat: Utrum sententia judicii Aulici alterâ parte nondum auditâ lata, imò nec ritè, & nec ante executionem publicata, possit in præjudicium Ducum & Directorum Circuli, ab aliis executioni dari? Utrum circumstantiæ istæ Autori fuere incognitæ? Non videtur.

Th. 14. Sunt & causæ levioris momenti, à rebus magni momenti sequestrandæ. Ad has pertinet, ubi v. c. de successione in feudum regium agitur, & adeò jura membri alicujus potentis in Circulo, ac sic superioritas, Majestati analogâ, in controversiam

siam venit. Neque enim vitio vertendum est Directoribus & Ducibus Circuli, si in talibus negotiis majorem curam adhibeant in defendendis Juribus suis, quam in rebus levioris momenti. Reliqua suis locis monebimus.

§. V. Sacræ Cæsareæ Majestati æquè exequendi, ac judicandi, potestas competit.

Th. 15. Unde & hic §. à scopo alienus est. Neque enim de re & radice juris exequendi hîc agitur, sed de modo, ac utrum salvis Imperii Legibus, & quidem in re ardua, ac in qua Processus & sententia judicii Aulici evidentium & insanabilium Nullitatum accusatur, executio alii, quàm Directori, aut Duci Circuli, mandari possit?

Th. 16. Sunt tamen hîc & alia multa monenda. Nemo S. Cæsareæ Majestati jus judicandi & exequendi secundum Imperii Leges, in controversiam vocavit, sed exinde tamen non statim sequitur, quod idem Imperatori *jure Majestatis competat*.

Th. 17. Habet haud dubiè Sacra Cæsarea Majestas titulum Majestatis, & ex Legibus multas præminentias titulo huic junctas. Sed vera Majestas summam potestatem, & sic plus involvit, quam omnes eminentiæ ordinis, aut dignitatis. Et solet fortè ex eâ ratione S. C. Majestas subinde, quando in literis ad eminentiores Imperii Statûs sui ipsius mentionem facit, loco majestatis terminum honoris Cæsarei & existimationis (*Kaysers Ehr und Reputation*,) adhibere.

Th. 18. Majestas in Rep. non solum superiorem non admittit, sed nec parem. At in Imperio & ejus Comitibus, quamvis solius Imperatoris votum æquipolleat votis Statuum conjunctim sumptis, non tamen istis præponderat. Sed nec accessione suâ votis dissentientibus Statuum majus pondus secundum Leges Imperii addere potest.

Th. 19. Qui sic colligit: *Supremi judicis officium integrum Imperatori in Imperio jure Majestatis competere: hoc enim esse, quod ejus Majestate salvâ ipsi adimi nequeat, ostendit se parum aptum esse*

esse, ad jura Imperatoriæ Majestatis asserenda, aut jura Statuum impugnanda. Clamabunt enim Logici: hoc esse petitionem principii, & probationem ejusdem per idem.

Th. 20. Potest Imperator jus aliquod habere *integrum*, et si non integrè. Qui ædes communes habent, singuli jus suum habent *integrum*, et si non integrè.

Th. 21. Quod si hæc distinctio paululum subtilior esse videatur, perspicuior erit observatio, non confundendum esse, jus *integrum*, cum jure absoluto. Integritas juris Imperatori competentis nil oberit Directoribus, aut Ducibus Circuli, sed obesset forte, si idem esset à pactis, & legibus Imperii, absolutum.

Th. 22. Nescimus, quod omnes imperii Constitutiones & Capitulationes Imperatorum affirmant: *supremum Judicis officium integrum Imperatori in Imperio JURE MAJESTATIS competere*. Si istæ Constitutiones Imperii adductæ fuerint, videndum, an id credituri simus.

Th. 23. Quod Capitulationes attinet, nescio an Autor ex solâ Leopoldinâ attentè legerit *art. 3. in fine verbi vor null und nichtig erklären. art. 8. verbis: darauf gegründeten Execution Edictis & c. art. 15. per integr. & præprimis verbis: neuerlichen exactionen oder anderer Gestalt / art. 18. per integr. præprimis verbis: durch den Reichs-Hofrath & c. art. 28. per integr. artic. 31. verb. wider allen unbilligen Gewalt. art. 38. integr. art. 39. verb. von hohen præjudiz und weiten Aussehen & c. art. 41. init. art. 42. verb. cum debita causa cognitione ordentlicher Weise & c. art. 47. & c.* Vereor enim, ut ex istis multum, vel pro isto jactato jure Majestatis, vel certè contrà jura Directorum & Ducum circularium in executione sententiarum, reperire potuerit.

Th. 24. Ad reliqua, quæ multis tautologiis in hoc paragrapho subjungit autor, repetenda sunt ea, quæ th. 10. & 15. jam monita sunt. Adde, quod larvas oppugnandas sibi sumat Autor, cum petit probationem, *quod Imperatori judiciales operationes, decidendi & exequendi, divisim data & cardinalis facultas executiva ademta, & in quem translata sit*. Quis enim unquam talia, quorum probationem petit, somniavit?

§. VI. Ex-

CIRC. IN EXEC. SENTENT.

§ VI. Exequendi Facultatem subsidia-
riam, non tam Directoribus, quam
Ducibus Circularum datam esse.

§ VII. Directores Circularum officia
Ducum defectu eorum subeunt, sine
extensâ potestate.

Th. 25. Ineptè in rubricâ §. 6. supponitur ab Autore, tan-
quam res indubitata, quasi potestas Directorum & Ducum Cir-
cularium intuitu executionis sit *subsidiaria*, quod falsissimum est.
Videtur vero profluere ex falso præsupposito, ac si Imperator ha-
beat potestatem Monarchicam.

Th. 26. Nec magis aptè disquiritur, utrum jus aliquod
Directoribus, an *Ducibus Circularum* competat, ubi Directorum at-
que Ducum est communis causa, aut ubi Directores Ducum de-
fectum suppleant. Jcti hunc nexum appellant, opponere exce-
ptiones de jure tertii.

Th. 27. Etiam si Directorum potestas non sit *extensa*, seu
major potestate Ducum, tamen ob modò dicta exinde ineptè
inferretur, Directorum potestatem esse *subsidiariam*.

Th. 28. In controversiis modernis juris publici, vel incon-
venienter, vel superflue provocatur ad antiquas Imperii constitu-
tiones, ubi noviores rem evidentius aut aliter definiunt. Unde
superfedere potuisset Autor iis, quæ in §. 6. ex Recessu de An. 1555.
& Ordin. Judicii Cameralis adducit.

Th. 29. Esto: *partis Victricis arbitrio relinqui, an Directo-
rum, aut Ducum circularium, auxilium requirere velit*: Esto: *non posse
eos auxilium victori obtrudere*. Esto: *debere eos attendere, ut execu-
tio sententiarum promoveatur, non vero, ut impediatur*. Sufficit,
quod pars victrix alterius auxilium regulariter implorare, vel
Imperator executionem alii mandare nequeat.

Th. 30. Sententia insanabili nullitate laborans non est
sententia, & executio similis, non est executio. Ergo, qui ta-
lium

B

lium sententiarum executionem impediunt, non impediunt sententiarum executionem.

Th. 31. Benè Autor: quod Directores aut Duces Circulorum, *ubi periculum est in morâ, possint de modis & mediis occurrendi periculo, etiam irrequisiti, deliberare.* At vero deliberatio cum effectu intelligenda, ut possint etiam, ubi periculum est in mora, ei reipsa irrequisiti occurrere.

Th. 32. Ubi de feudo regio per occupatam ab altero possessionem, & non obstante reservatione petitorii, obtentam investituram, amittendo agitur, periculum in morâ est.

Th. 33. Victus non est, qui nulliter victus est, nec is pro contumace habendus, qui querelas evidentissimæ nullitatis habet. Unde frustra autor adducit, *quod Duces Circulorum Victricis, non Victæ partis, implorationem attendere, nec victi contumaciam obfirmare teneantur.*

Th. 34. Imo cum apertè periculum in mora sit, si nulla sententia nulliter detur executioni, poterunt etiam Duces per modò dicta, ad nulliter ita victæ partis implorationem ei succurrere.

Th. 35. Disquisitio, utrum Directores possint in executione Duces Circuli prævertere, iterum impertinens est, cum sit de jure tertii. Sufficit, quod autor ipse fateatur, quod in recessu Imperii novissimo dispositum sit, quod executio sententiarum pertineat ad Directores Circulorum. *Vid. §. 86. 160. 162. dicti recessus.*

Th. 36. Benè autor: *quod Augustissimus Imperator in capitulatione art. 2. obligatus sit, ad observandam ordinationem executionis, que Ducibus circulatorum executionem committat.* Sed contorta est illatio, quam videtur in mente habuisse, ac si propterea executio non committenda sit Directoribus Circulorum. Obligavit se etiam invictissimus Imperator in d. art. 2. ad recessum Imperii novissimum observandum.

§. VIII. De Institutione Circulorum & Ducum Circularium Officiis.

Th. 37. Ubi jus exequendi Directoribus Circulorum evidenter in novissimo recessu datum est, frustra de Institutione Circulorum & temporibus Maximiliani atque Caroli V. differitur. Autor tamen ne nihil dicat, mavult aliena dicere. Unde trans-eant varia, quæ circa assertiones hujus §. moneri poterant.

§. IX. Sententiarum Executiones Autoritate Imperatoris Ducibus Circulorum non ita commissæ fuerunt, ut Imperator iisdem se plane abdicaverit.

Th. 38. Confundit hic iterum Autor rem & modum. Nemo dixit: Imperatorem se abdicasse potestate exequendi, etsi ex Legibus Imperii teneatur, certis personis eam mandare.

Th. 39. Unde iterum magno conatu larvas à se confictas oppugnat autor, quando omnia in hoc §. congerit, ut ostendat, Imperatorem per Leges Imperii se non abdicasse supremâ jurisdictione & potestate exequendi. Nam semper Duces, aut Directores Circulorum, in hâc controversiâ de potestate exequendi ex legibus Imperii sibi competente, solenniter protestati sunt, quod nolint Autoritati Imperatoris & supremæ ejus jurisdictioni quicquam detrahere, sed saltem humillimè eum implorare, ut evidentes ac insanabiles nullitates à consilio Aulico commissas, nullas declarare velit, ad quod etiam sanctissimum Imperii caput vigore capitulationis obstrictum est.

Th. 40. Quæ vero rursus immiscet Autor de subsidiaria & subalternâ ministeriali saltem Ducum Circuli potestate, & de supremâ potestate majestatica ossibus Imperatoris individuo nexu adherente, ea jam superius partim th. 16. seq. partim th. 25. seq. rejecta sunt.

Th. 41. Neque enim possunt ulli Status Imperii, multò minus Directores & Duces Circulorum, ut meri subditi & magistratus

stratûs inferiores, quibus in Rebuspublicis simplicibus & Monarchiis, à principe in subsidium & modo subalterno ac purè ministeriali, potestas exequendi committitur, considerari, sive dicas Rempublicam nostram mixtam esse, sive eam fluctuare inter Monarchiam & systema civitatum.

Th. 42. Clamant enim ferè omnes recessûs Imperii, quod Statûs recessibus adstringantur, & Legibus Imperii, non per modum Legis propriè dictæ, sed per modum pacti. In specie vero ex Recessu de anno 1555. huc pertinent §. Nachdem aber 54. §. Wsdenn ferner 77. & §. Ferner nach dem 96. ubi de potestate exequendi ex professo, ut dicere solemus, agitur.

Th. 43. Porro, quod Autor addit, *Duces Circulorum ad Imperatorem protinus referre debere, QUOTIES manu militari agere intendant*, id quidem partim ex adducto ab Autore R. I. Aug. de anno 1555. §. und sollen 64. non probatur, cum §. ille loquatur de speciali casu, quando executio contrà integrum Circulum facienda est, & sic unus Circulus executioni non sufficit.

Th. 44. Partim inde quicquam in præjudicium Directorum & Ducum Circularium, & quod Imperator illos in mandanda executione præterire possit, præprimis in casu evidentis nullitatis, inferri nequit. Et quid dicet Autor, si evidentia facti ostendat, Directores Circulorum statim ad Imperatorem retulisse, quando de jure ex Legibus Imperii ipsis competente conservando fuere solliciti?

Th. 45. Quin & quæ de regimine Imperii immiscet Autor, nihil probant. Ipse potius viderit, quid respondere velit, si quis ex Ordinatione Regiminis de Anno 1500. princ. verbis: mit einmüthigen zeitigen Rath und Willen auch zugeben und annehmen/ & in sequent. cap. 1. 3. 4. passim, jactatam ab Autore potestatem Majestaticam oppugnet?

§. X. Directores aut duces circulorum ad exequendum sententias non ita præcise adhibendos esse, sed à S. Casa-

Cæsarea Majestate etiam alios Commissarios ad hoc negotium constitui posse.

Th. 46. Tota rubrica hujus paragraphi evidenter falsus est, si ea sit mens auctoris, quod S. Cæsarea Majestas ex mero arbitrio possit Directores, aut Duces Circuli, in executione præterire. Quod si id intelligat, secundum Leges Imperii esse quosdam casus, ubi executio alii, quam Directori Circuli possit committi, iterum tamdiu à præsentia controversia alienum est, quamdiu Auctor non probavit, istos casus in ipsis rerum argumentis obtigisse.

Th. 47. Quæ Auctor fufius ex *Artic. 6. Instrum. Pac. Cæsareo-Svecici* hic excerpfit, rursus à scopo aliena sunt. Quod si enim ea intentio est Auctoris, quod velit ostendere, ex dicto artic. 16. potestatem Directorum Circuli non probari, videndum ante omnia esset, utrum Directores eum Articulum pro se allegaverint. Quod, si non factum est, uti factum esse ignoramus, fingit sibi iterum Auctor adversarios, quos oppugnet.

Th. 48. Neque enim putamus opus habere Circulorum Directores, ut istum articulum pro se adducant, (nisi fortè per modum argumenti illustrantis,) cum jam satis tuti sint per recessum Imperii novissimum §. 86. 160. 162. adversus cujus dispositionem nihil solidi adduxit Auctor. Conf. Th. 35.

Th. 49. Quod si ex dicto art. 16. Auctor velit infringere potestatem Directorum Circuli, videamus, quomodo id procedat. Esto: quod *irrequisiti invitis operam suam obtrudere non possint*. Quid inde? Respondimus jam supra Th. 29. seq.

Th. 50. Esto: quod, *si minus idonei ad exequendum videantur, repudiari, & alterius vicini Circuli Directores, aut præfecti militia, substitui possint*. Quid inde lucrabitur auctor? Utrum putat, à soli⁹ Imperatoris lubitu & arbitrio dependere illam inidoneitatis determinationem? An non potius & hic judiciū Imperatoris erit restrictum

strictum ad leges Imperii? An hodie, ut olim in causa Donaverthenfi, conqueruntur Directores circularum, quod alterius Circuli Directori, aut Praefecto militiae, executio commissa sit? Videt Autor, quorsum se vertat, se attulisse talia, quae huc plane non pertinent.

Th. 51. Imo ubi est bona fides, Autoris? Annon satis aperte in d. art. 16. determinatur idoneitatis causa, quando videlicet quis minus idoneus est, ut seipsum restituat in causa propria? Utrum causa de qua agitur, est Directorum Circuli propria? Quidsi potius hi querantur, quod quis, secundum hunc articulum minus idoneus, executor in propria causa factus fuerit?

Th. 52. Attamen, inquit noster, aperte simul dispositum est in d. art. 16. si quis restituendorum Casareanos Commissarios ad alicujus restitutionis, vel executionis actum, necessarios censuerit, ipsius arbitrio id relinqui, Directoria Circularum praeterire & Commissarios à S. Caf. Majestate petere. Grave profecto dubium, & in quo forte sudandum esset imperitis, nisi ipse autor ad idem responderet.

Th. 53. Extat responsio p. 30. circa finem §. XI. Hujus dubii solutionem suppeditant ipsa Pacis Tabula, in verbis: rerum transactionum &c. Quippe ibi res non judicata, sed transacta, non per sententiam, sed ex partium conventionem definita erat, quae executioni mandanda occurrit. Ubi utrique parti simul reservata fuit facultas praesentandi Commissarios &c. Vides quomodo Noster se jugulet proprio Gladio.

Th. 54. Unde aperta simul est falsitas assertionis in paragrapho praesenti, quod restituendorum in Instrumento Pacis eadem pene fuerit conditio, ac si per sententiam restitutionem obtinuissent.

Th. 55. Simul vero falsum est, quod sequitur: Ne quid singulare ibi concessum videatur, ordinatio Executionis ibidem pro norma praesupponitur, cui adeoque hujusmodi Commissariorum Constitutio non videbatur adversari. Non supponitur ordinatio executionis pro norma in §. 3. d. art. 16. ex quo Autor inferre vult, sed in §. praeced.

§. præced. ubi videlicet mentio fiebat executionis committenda Directoribus Circuli.

Th. 56. Quin & rursus in §. 2. non solum ordinationis Executionis, sed & pactorum fit mentio, (quorum hæc tacet Autor, an bona fide, ipse viderit?) ut innuatur, ea, quæ in d. art. 16. aliter disponuntur, quam ordinatio Executionis volebat, ultra pacta illa non esse extendenda.

Th. 57. Quæ sequuntur apud Autorem à verbis: *Prævia restituendi &c.* ad verba: *in executione sententiarum præterire*: cum sæpius rejecta ac refutata recoquant, responsionem ulteriorem non merentur.

Th. 58. Nisi, quod id planè sit putidum, dum asserit, in *R. I. de Ann. 1654. §. in welchem Termin der Condemnatus &c. 160. Judicii Cameralis arbitrio relictum esse, Directores Circuli, ad quem Condemnatus spectat, in committenda executione sententiarum præterire. Et inde infert: Quidni idem S. Cesareæ Majestati quoque licebit?*

Th. 59. Disponit d. §. 160. quod Executio debeat committi Magistratui condemnati, (si condemnatus sit mediatus,) aut, (si nō sit immediatus,) Circuli Directoribus, aut si hi interesse aliquod ea in causa habeant, vel aliæ causæ prægnantes adsint, secundum arbitrium judicis, Directoribus unius, aut plurium Circulorum vicinorum. Jam considera, quanta fraus in interpretatione Autoris?

Th. 60. Initio arbitrium Judicis, quod ad determinationem causarum, utrum prægnantes sint, pertinet, exponit, quasi in libero arbitrio Camerae sit, Directores Circuli præterire, quasi una eademque res sit arbitrium judicis, quod semper legibus & regulis æquitatis naturalis adstrictum est, & causæ cognitionem legitimam requirit, & arbitrium, ut sic dicam, politicum, liberum plane & nullis legibus alligatum.

Th. 61. Deinde omittit consveta fide, quod Recessus Imperii jubeat, istis in causis prægnantibus aliorum Circulorum Directoribus à Camera debere executionem mandari, & simpliciter ponit, quod præteriri Director Circuli possit, in quo sit condemnatus. Prævidebat enim, si textum recessus refer-

referret integrum, frigidam fuisse illationem: *Quidni idem S. C. M. quoque liceret?* praevidebat, statim Lectoribus cogitationem suborituram. Quid? an in controversia, cujus causa scribit Autor, alterius circuli director fuit substitutus?

Th. 62. Crescit impudentia nostri: *Quondam tamen, inquit, Imperator ipse exequabatur, aut aliis Principibus, aut Missis Caesareis, aut Regiis, Executiones committebat, qui modus exequendi per Legatos vel Commissarios Imperatoribus succedente tempore nullibi interdictus, aut restrictus legitur.* Quid enim? annon ordinatio Executionis, annon Recessus novissimus, sunt leges restringentes?

Th. 63. Ut taceam, restrictiones multas fieri ex tempore & Status mutatione. Quondam Papae excommunicabant Imperatores, qui modus nullibi interdictus, aut restrictus legitur. Quondam Imperator habebat sufficientes redditus ex Imperio ad statum Imperatorium pro dignitate formandum, qui modus etiam nulla lege restrictus est. Et tamen alia tempora, alios mores postulant.

Th. 64. Istud ergo commiseratione dignum, quod sequitur: *Si Electores, Principes & Status Imperii ab eo recedendum duxissent, cum in Capitulatione perpetua, quae ad formandam Caesarem potestatem necessaria putarunt, omnia exacte congesserint, eo nomine se explicare in re tanti momenti non supersedissent.* An enim Electores, Principes & Status Imperii unquam Capitulationem aliquam perpetuam condiderunt? An post dictam Ordinationem Executionis & Recessum Imperii novissimum opus est, quicquam novi de executione sententiarum Directoribus aut Ducibus Circulorum competente, differere.

Th. 65. Unde non opus est dispicere, utrum anxia illa expositio, artic. 20. in specimine Capitulationis perpetuae, (cujus sanè verba: *se wohl in diesen als andern Fällen / multum laboris auctori fecerunt,*) rectè se habeat, nec ne. Intempestiva sollicitudo est de ovo, quod Gallina nondum edidit. Occinimus Auctori verba propria ex §. 7. in fin. *Ad observandam ordinationem executionis (& pariter recessum novissimum) quae*
Ducibus

Ducibus (Directoribus) Circulorum Executionem committit, Augustissimus Imperator in capit. art. 2. obligatus est.

Th. 66. Ad mentem tamen saniozem videtur autor rediisse in fine hujus §. dum istud liberum Camerae arbitrium, quod superius jactitabat, exponit *de arbitrio judicis*. Conf. Th. 60. Jam vero ipse judicet, an ab arbitrio judicis, ad liberum arbitrium Imperatoris, procedat illatio?

§. XI. Recensentur Modi exequendi antiquitus, & hodie usitati.

Th. 67. Ridiculum foret, post claram dispositionem recessuum de ann. 1555. & 1654. disquirere velle, quid juris Imperatoribus competierit ante illa tempora. Quæ enim hic autor affert, omnia antiquiora sunt Ordinatione Executionis. Libertas quidem relinquenda est Autori, exscribendi locos suos communes. Maneat & nobis libertas dicendi: Hæc nihil ad rem.

Th. 68. Sed tamen *ex his constare* putat noster (p. 28.) *S. Cas. Majestati liberum esse, sententias suas, vel per Circulorum Directores aut Duces, vel alio modo conveniente per alios Principes & Status, vel per commissarios speciales, exequi.* Errat Autor, ex iis, quæ antiquitus obtinuerunt, colligimus, hæc ita fuisse, v. g. fuisse Anchisen patrem Æneæ, non vero esse adhuc Troes, esse Ilium.

Th. 69. Ergo si libellum suum corrigat, & loco *liberum esse*, scribat *liberum fuisse*, multa alia, quæ in hac illatione notari poterant, condonabimus. Et saltem illud Poetæ ei in mentem vocamus: Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens gloria Dardaniæ.

Th. 70. Urit hominem, quod videat libertati huic obstare Ordinationem Executionis, unde *publica rei non bene consuli* putat p. 29. *Si sacra Casarea Majestas propriis viribus suis uti non posset, sed per Circulorum Directores, vel Duces, ad defensionem pacis publicæ demum accingi, & copias circulares necessariò expectare deberet.* Nobis vero non licet esse tam beatis, ut perniciem Imperii videamus, si Imperator observet Ordinationem Executionis & Recessum Imperii novissimum. Ergo consolabitur se fortè autor isto consveto Jctorum: Lex dura, ita tamen scripta.

C

Th. 71.



Th. 71. Præprimis, cum ob tale negotium calamum susceperit, ubi non expectandæ erant copiæ Directorum Circuli, sed ubi jam aderant, & præter expectationem multiplicabantur.

Th. 72. Quare & sua sponte cadit, quod sequitur, quod in executione sententiarum, in Consilio Aulico latarum, S. Casarea Majestas non sit adstringenda auxilio Directorum, vel Ducum Circularium, plerumque lento, quandoque invito, cum Executiones celeriores exitum sortiri debeant. Nos quidem iudicium Aulicum adstringere nolumus, si modo non adstringeret Capitulatio Imperatoria artic. 47. junct. art. 2. Conf. th. 65.

Th. 73. Vellem tamen simul ex Autore querere: An putet etiam sententias, parte non satis audita latas, & necdum publicatas, celeriores exitum sortiri debere?

Th. 74. Objectioni, quam ipse sibi format Autor ex instrumento pacis p. 29. seq. non adhaeremus, cum ea non habeamus opus. Ergo & liberum nobis erit tacere ad ea, quæ huic objectioni respondet, præprimis, cum ex ista responsione jam supra, auctori ipsi os obturaverimus. Vide Th. 53.

Th. 75. Illud tamen tacere non possumus, quod p. 31. immiscet: Nisi in executione sententiarum Commissarios Casareos etiam adhiberi solitum fuisset, id in executione Pacis Westphalica noviter non fuisset introductum, multò minus partes principales in constituendis Commissariis Imperatori relictae, cum in istis tractatibus pacis potius de restringenda, quam de amplianda potestate Casarea, actum fuerit.

Th. 76. Odiosa esset disquisitio, utrum in Instrumento pacis de restringenda potestate Imperatoris actum fuerit, quod multi Dd. ne quidem de capitulationibus affirmare volunt. Falsa vero illatio, quod ideò & alii Commissarii adhibiti fuerint in Instrumento pacis, quia & ante (sc. per ordinationem Executionis) in usu. Speciales rationes fuerunt ejus conventionis, ex ipso art. 16. facilè deducendæ, si hujus loci id esset.

Th. 77. Falsum vero etiam, quod partes Principales ibi Imperatori relictae. Aliud docet §. 2. d. art. 16. Unde & in Edicto Executionis Ferdinandi de Anno 1648. Directores & Duces Circulorum vocantur, die durch den Friedensschluß absondere

sonderlich verordnete Executores. Arctior item modus exe-
quendi dicti Imperatoris de ann. 1649. emanavit an die Creyß-
auschreibende Fürsten. 2c. Th. 78. Denique nolumus Autori objectionem ex Im-
perii Recessu de anno 1500. tit. von Cuns von Dottenheim/facere,
ergo & lucrabimur tempus, ne de responsione ejus dispiciamus.

§. XII. An dispositio Instrumenti Pacis
Cælareo Svecici Artic. V. §. In Con-
ventibus Deputatorum &c. ratione
religionis quoad constituendos com-
missarios ad exequendum, obser-
vanda sit?

Th. 79. Etiam in formanda quæstione hujus §. Autor of-
ficium boni disputatoris non observat. Quis enim quæstio-
nem sic formatam proposuit? Id quidem vidi in quæstione
fuisse: Utrum, si in causa partium utrobique Evangelicarum,
ad instantiam unius partis, tertius quispiam Commissarius, Ca-
tholicæ religioni addictus, prioribus duobus Evangelicis fuerit
adjunctus, & pars adversa, in honorem supremi judicis, ad-
junctioni huic non equidem contradixerit, sed saltem ex sua
parte quoque adjunctionem quarti Commissarii expetierit,
utrum inquam, rejecta hac ejus justa petitione, & sententia
quadam altero nondum satis audito formata, & ante publica-
tionem ab eodem Commissario Catholicæ religionis executioni
tradita, pars ita iniq; tractata, inter alias justas & majoris mo-
menti querelas, conqueri possit, quod Commissarius contra
instrumentum pacis in cognitione causæ datus, etiam postea
sit ad executionem destinatus?

Th. 80. Uti vero ingens differentia est inter duplicem
hanc quæstionem, ita vel maximè in eo se diversitas exerit. Si
dispositio Instrumenti Pacis pertineret directò & regulariter
ad

ad Commissarios Executionis, haud dubiè premeret fortiter Autorem. Sed etiam si ponamus, illam eò directò non pertinere, sed ad iudices, interim tamen nullitas in dando iudice contra instrumentum pacis haud dubiè continuaretur, si idem iudex postea etiam fieret Commissarius in executione.

Th. 81. Quæ, si quis non exactè secernat, divinare non poterit, cur autor hanc controversiam, vel moverit, vel immiscuerit. Nam cum ordinatio Executionis & aliæ constitutiones Imperii, jam de modo exequendi disposuerint, & eam Directoribus, aut Ducibus Circuli assignaverint, non poterat primario in Instrumento pacis simul ad ordinem & modum exequendi respici.

Th. 81. Et certe, quod intentionem totius hujus scripti attinet, impertinenter sanè plerisq; videri poterat, Autorem hanc controversiam movisse. Si enim nondum probatum est, uti Autor nondum probavit, licere S. Cæs. Majestati, præteritis Directoribus & ducibus Circularibus, alios in exequendo Commissarios dare, frustra quæritur, cujus religionis illi Commissarii, pro lubitu dati, esse debeant.

Th. 82. Quæ impertinentia alteram partem non premit, quæ videlicet sustinet, Directores Circulorum in executione præteriri non posse, & si sint præteriti, atque simul Commissarius Catholicus ad exequendum datus, postea quærit, utrum rectè & convenienter legibus Imperii, id factum fuerit?

Th. 83. Et si igitur concederemus d. artic. 5. §. *in conventibus*, Instrumenti Pacis, quoad ipsa verba non posse applicari ad Commissarios in executione. Fortè tamen non deesset argumentum legis. Non v. fortius argumentum legis est, quam legis ratio.

Th. 84. Ipse Autor hic illam rationem, & rectè, suppeditat, ut affectus, vel partialitatis suspiciones evitentur. Et putat etiam postea: *in causa mere Civili nihil referre, hujus vel illius Religionis affectam habere Commissarium ad exequendam sententiam, cui ipse nihil addere, vel demere possit.* Verum possunt tamen & hic infiniti casus intervenire, ut suspicio partialitatis, aut affectus

affectus, etiam in commissario executionis subfit, præprimis, si ipsa sententia & processus accusentur de nullitate.

§. 85. Quid si enim e. g. res sit magni momenti? Quid, si Pars altera promittat, se velle Catholicam religionem rursus dominantem facere in territorio Evangelico? Quid si Commissarius Catholicus clanculum omnia & per insidias magis, quam apertè, agat? Quid, si ita se gerat, ut homines communi sensu & ratione integra utentes, nesciant, an magis sit Sacræ Cæsareæ Majestatis Commissarius, an mandatarius partis, cujus interest? Ut de gravaminibus jam nihil dicam, quæ olim in causa Donaverthenfi hoc intuitu mota sunt, cum ista causa non civilis fuerit, sed criminalis.

Th. 86. Ex his vero patet, quod argumentum hoc ex Instrumento pacis, non sufficienter tollatur ab Autore per distinctionem inter *negotia imperii ad Comitata, vel Conventus Circulares, aut Collegiales pertinentia, & inter causas judiciales*. Præterquam enim, quod ipse Autor initio hujus paragraphi fateatur, instrumentum pacis loqui etiam de causis, quæ judicari debent, etiam si verba essent differentia, utrobique tamen est eadem partialitatis suspicio.

§. XIII. Modus promulgandi sententias, non ad substantialia processus pertinet.

Th. 87. Ut cavillationibus Autoris, quas hoc & seqv. paragrapho committit, eo distinctius occurratur, prænotandum, non confundenda esse substantialia & accidentalia rerum naturalium, cum iis, quæ ad substantiam, aut accidentia rerum moralium pertinent. In illis substantialia, tanquam à creatore essentiis rerum indulta, immobilia sunt, nec arbitrio hominum subjacent, unde canon vulgatus: *essentiæ rerum sunt æternæ*.

§. 88. Essentiæ rerum moralium plerumque dependent ab impositione hominum, unde & sæpè variare possunt, ut aliquid modo ad substantialia pertineat, modo ad accidentalia.

Ita

Ita moribus Romanis ad substantialia pacti firmiter obligato-
rii, quod contractus non erat, requirebatur vel interventio
solemnis interrogationis & responsionis, vel iteratio delibera-
ta, quorum utrumque moribus nostris pertinet ad accidentalialia.
Ita eodem jure Romano, ad substantialia conventionum, quæ
dicebantur contractus innominati, requirebatur, ut ab una mi-
nimum parte jam aliquid datum, vel factum sit, quod hodie
itidem accidentalibus est accensendum.

Th. 89. Non tamen putandum est, planè liberum hic esse
arbitrium humanum. Nam sæpè, ne principibus quidem, li-
cet mutare aliquid, puta, si negotia sint talia, quæ formam suam
acceperunt à moribus gentium, & communi humani generis
impositione. Ita v. g. peccaret Princeps, qui venditionem
uno nummo factam, non pro donatione, sed in omnibus pro
vera venditione, quoad effectus civiles, vellet habere. Ita
peccaret princeps, qui venditionem à se factam, vellet inter-
pretari locationem &c.

Th. 90. Maximè vero arbitrium humanum, etiam Prin-
cipale, hic restringitur, si substantiale negotii postulet æquitas,
aut ordo naturalis. Ita iniquum esset, & substantialia proces-
sus tollerentur, si Rex vellet aliquem condemnare nondum au-
ditum; Ita turbaretur ordo naturalis, si sententia antea exe-
cutioni mandetur, postea publicetur &c.

Th. 91. Uti vero doctrinam hanc, & quid liceat Prin-
cipibus in negotia humana, earumque substantialia, aut acci-
dentalia, plenè exponere non est hujus loci: ita istud axioma
tamen videtur omni carere dubio: Quoties Princeps pacto,
præprimis publico, se obligavit ad aliquod negotium, hoc vel
illo modo expediendum, toties ille modus, intuitu illius Princi-
pis, ad substantialia negotii pertinet, etsi alias, aut citra hoc
pactum, possit ab illo negotio abesse. Ita v. g. si princeps pro-
miserit, quod in causæ alicujus cognitione, partes in scriptis
velit audire, & singulis tres positiones concedere, indulgentia
trium positionum, & scriptura pertinet ad substantialia illius
negotii, etsi citra hoc pactum pertineret ad accidentalialia.

Th.

Th. 92. Ex dictis vero patet, rubricam hujus paragraphi ita generaliter conceptam, veram non esse, sed ex hætenus recensitis limitandam. Et similem quoque limitationem addendam textui, dum asserit, *quod modus promulgandi sententias, pertineat ad accidentalia, in quibus, etsi quid ob certas rationes quandoque mutetur, Justitia propterea lesa, aut non administrata, dici nequeat, quoniam Consilium Aulicum ad mera formalia, sive solennia Processus scrupulose observanda, non est adstrictum, ut ejus sententia propterea infirmari non possint, si S. Caf. Majestas in ejus publicatione à modo communi recedendum duxerit.* Vid. Reichs-Hofraths-Ordnung tit. 2. §. 7. & 8.

Th. 93. Limitanda, inquam, est hæc assertio, modo illum modum publicandi non postulent mores communes Gentium, æquitas naturalis & pacta ipsa Imperatoris.

Th. 94. V. g. si Consilium Aulicum velit, præprimis in causa magni momenti, publicare sententiam, parte altera nondum audita, item post executionem jam factam. Istud enim repugnaret moribus Gentium, æquitati naturali, & Legibus fundamentalibus Imperii. Vid. Reichs-Hofraths-Ordnung Tit. 1. §. und weilten dann 15. Item Tir. 6. junct. Cap. Leopold. art. 40. vers. Und damit hinfür. & art. 41. init.

Th. 95. Eadem limitationes addendæ sunt verbis autoris reliquis, quæ in hoc paragrapho sequuntur.

Th. 96. Quæ vero Autor ibidem de prudentia, justitiæ comite, immiscet, item de exactiore circumspeditione, præsertim in sententiis tempestive publicandis, ne à scopo aberretur, Justitiam tranquille & cum effectu administrandi, cum isto monito sunt admittenda, modo non pro publicatione tempestiva, habeatur publicatio parte non audita & post executionem commissam facta; modo non pro prudentia ventiletur, astutia, totius Imperii tranquillitatem turbans, & non solum statuum jura violans, sed & Optimorum Imperatorum Autoritatem ex necessaria consequentia magno, & sæpe irreparabili periculo, exponens.

Th. 97. Debet prudentia justitiæ comes esse, adde etiam directrix, sed non domina, justitiæ despotico imperio nasum cereum

cereum affingens. Appellatur equidem à Pseudopoliticis ista Pseudoprudentia, ratio status. Sed pro diversitate ipsius status atq; Consiliorum, datur ratio status recta & corrupta.

Th. 98. Has quidem Autoris cavillationes efficaciter prævenerunt, qui dixerunt, procedere hos prudentiæ prætextus in rebus politicis; aliam longè esse rationem rerum & causarum judicialium.

Th. 99. Quodsi vero quis omnia facta sub prætextu prudentiæ & rationis status defendere velit, is cogitare debet, etiam Status Imperii & Directores Circulorum, habere suas rationes status, habere sæpe efficaciores prioribus. Conf. omninò Uffenbachii tractatum de Consilio Aulico Imperatoris (& privilegio Imperatorio munitum, & S. C. M. inscriptum, & à Consiliariis ipsis Aulicis carminibus commendatum) cap. 18. §. Ex post facto seq. Cap. Leop. art. 42.

§. XIV. Modus Exequendi etiam ad Accidentalialia Processus referendus est.

Th. 100. Cum eadem lyra hic ludat Autor, eadem quoq; responsio hic repetenda erit. Modus exequendi etiam ad Accidentalialia Processus referendus est, modo iste modus non sit contra mores communes Gentium, contra æquitatem naturalem & contra pacta Principis. Sed hac limitatione addita, totus hic paragraphus parum proderit Autori.

Th. 101. Nam dum initio *dispositionem Instrumenti pacis Cesareo-Svecici §. quoad processum &c. quod Ordinatio Judicii Cameralis in Judicio Aulico per omnia servanda sit, eadem distinctione inter substantialia & accidentalialia avertere studet, atque modum exequendi ad mera formalia, sive accidentalialia refert, ad quorum præcisam observationem Imperiale iudicium non sit adstrictum, nihil agit autor, si eò applicare velit, quod præteritis Directorum circuli, aut executio, sententia nondum publicata, pertineat ad accidentalialia modi exequendi, quia ad committendam executionem Directoribus Circuli, Imperator ex legibus imperii obligatus est, & sententia nondum publicata, ex ordine naturali processus, non potest executioni mandari.*

Th.

Th. 102. Et quamvis adeo regulariter ad iudicis, non ad partis officium referendum sit, quomodo sententia commodissime executioni mandanda sit, ista tamen regula exceptionem omni jure habet, si Judici modus certus à legibus, aut ex conventionem fit præscriptus.

Th. 103. In applicatione vero regulæ ad statum Imperii, falsum est, quod in hoc nihil S. Cæsarea Majestati præscriptum, vel novatum legatur, quamvis forte argumentum illustrans pro jure Directorum præbitura sit Confessio Autoris, quod Consilium Aulicum antiquum modum exequendi hucusque tenuerit.

Th. 104. Quæ sequuntur, factum magis, quam jus respiciunt. Perpensis utrimque militantibus rationibus, illimitatus modus exequendi justitiæ promovendæ aptior deprehensus, adeoque non abolendus videbatur. Nam quamvis parti victæ plerumque minus, quam victori gratus sit; quia tamen pro Victore stat sententia, & pro sententiæ præsumptio justitiæ, victus præ ipso favorem retardandæ Executionis non meretur. Nobis ex autore saltem liceat de jure quærere: An putet, per executionem sententiæ, ex duplici capite nullius, promoveri justitiæ? An putet, talem sententiæ habere pro se posse præsumptionem justitiæ.

Th. 105. Porro: Uti Directores Circularium inhærendo juri suo; nequaquam contra rationem ipsam S. Cæs. Majestati facultatem judicandi dubiam reddere intendunt: Ita homini privato, post Leges Imperii aliter disponentes, non competit asserere, perinde esse, sive Directorum vel Ducum Circularium ope, sive per alium, executio effectui mancipetur, modo scopus administrandæ justitiæ, & suum cuique tribuendi obtineatur.

Th. 106. Cum vero jus Directorum Circularium satis perspicuè fundatum sit in §. In welchen Termin 160. R. I. novis. superfluum videtur ex §. und gleich wie dieses 108. ejusd. recessus argumentum pro eodem petere. Quare nostræ curæ non esse censemus dispicere, an rectè Autor, an secus, respondeat ad objectionem, quam ipse sibi exinde format.

Th. 107. Id tamen inconvenienter ibi dicitur, quod ab Imperatore Ordinibus injuncta sint, quæ ibi observari jubeantur. Inepta

est hæc locutio ad statum Imperii Germanici & naturam recessuum, qui status non obligant per modum legis proprie dictæ, sed per modum conventionis,

Th. 108. Et quamvis d. §. 180. R. I. S. Casarea Majestati nibi prescribat, qualiter quibusve modis executionem quam commodissime sententiis applicandam censeat; postquam tamen jam §. 160. satis evidenter disposuerat de executione Directoribus circuli mandanda, non poterat etiam ab Autore asseri, quod §. 180. liberum relinquat Imperatori, an autoritatem suam statim per Directores vel Duces circulatorum, an alio modo interponere velit.

Th. 109. Quæ ex d. recessu §. in welchen Termin 160. de potestate Camera, quod illa Circuli Directores in demandanda executione PRO ARBITRIO præterire possit, repetuntur, jam rejecta sunt superius th. 58. seq. Et ad id, quod Directores operam Victori imploranti, non Victo, subministrare teneantur, responsum est th. 33.

Th. 110. Porro, etsi §. 162. disponatur, Quod si quis, cuiuscunque status, Dignitatis, aut Conditionis is fuerit, ita (i. e. legitime) demandata Executioni, ullo modo vi armata resistere attentaverit, eum pœna banni obnoxium fore, & contra ipsum absque ullo respectu procedendum esse; non debuisset tamen Autor omittere, quod hic processus banni, ratione executionis, ibidem ad sæpius memoratas leges Imperii statim restringatur; debuisset etiam forte cogitare, annon pœnam æqualem mereantur Consilarii, qui iniquissimas & insanabiles nullitates in causa magni momenti committentes Clementia Imperatoria abutuntur & quietem imperii turbant.

Th. 111. Qua cogitatione rite expensa, non intercedemus, quò minus Autor eidem subjungat, nullam diversitatis rationem adesse, quo minus hæc etiam sententiis in Consilio Aulico latis, & Consiliariis Aulicis accommodari possint.

§. XV. Imperatori etiam ut Capiti & Domino, potestatem Exequendi competere.

Th.

Th. 112. Id non omittendum, quod in §. Nachdem auch 178. expressis verbis denotetur, quod intuitu ordinationis Executionis, Imperator & Status se mutuo per vim pacti obligaverint, quod dicta ordinatio in omnibus & singulis punctis debeat à QUOVIS plenissime observari, tanquam Norma recta & infallibilis. Hic vero natura pacti mutui ostendit, sub isto QUOVIS etiam contineri Imperatorem.

Th. 113. Ut supra jam fuit monitum, ipsam potestatem exequendi Imperatori, tanquam Capiti Imperii, nemo negavit. Et non de re, sed modo sermo est.

Th. 114. Falsum tamen est, quod S. Cas. Majestas vigore Jurisdictionis & Superioritatis Universalis, non minus juris per totum, qua pater, Imperium, praesertim quoad immediatè Imperii subiectos, quam quilibet Magistratus in suo territorio habeat. Falsum est: Superioritatem Imperatori in singulos & Universos, eorumque bona, per totum Imperium in superlativo (i. e. absoluto & legibus non adstricto) gradu competere. Nec puto, unquam S. Caesar. Majestatem de sua potestate tam invidiosas locutiones usurpaturam esse, quales hic adhibet Autor.

Th. 115. Uti vero ab anno 1507. ad hæc nostra tempora potestas Imperatoria per Leges Imperii varias subinde restricta & limitata fuit: ita ex Recessu antiquo modum exequendi in Imperio hodiernum intempestivè definiri, jam supra fuit monitum.

§. XVI. Imperatori etiam sibi ipsi, ut Principi Imperii, exequendi partes committere posse.

Th. 116. Imperator, ut Princeps Imperii consideratus, ipse executionem suscipere potest, quando condemnatus in Circulo; cujus Directorium ad Imperatorem spectat, comoratur.

Th. 117. At quando causæ particeps est, aut ubi aliæ sön-ticæ causæ adsunt, non solum juxta pacta publica merito, ut alterius circuli Director, ab executione in hoc casu abstinet,

sed & æque, ut alius Director, quoad istam causam fonticam arbitrio Camerae videtur esse subiectus.

Th. 118. Potest præterea Augustissimus Imperator, ut Princeps Imperii & Director Circuli Austriaci, sententiam exequi, quando executio contra vicinum Circulum facienda, aut, si vicini Circuli Director vel nolit exequi, vel ob causas fonticas non possit. Ubi tamen semper supponitur, & Processum & adornatam executionem, evidentibus & insanabilibus nullitatibus non esse subiectam.

Th. 119. Non tamen poterit S. Cæs. Majestas neglectis Legibus fundamentalibus indistinctè in omnibus Circulis, etiam remotioribus, executionem suscipere, & putida interpretatio Legum Imperii est, quando Autor Directores vicinos & proximos, die Benachbarten und Nächstgesessenen / exponit illos, qui ratione auxilii sint maxime prompti & parati, & neque ratio evincit, neque genius linguæ permittit, daß der Nächstgesessene (und Benachbarte) nicht so wol nach der situation, als nach der Geschwindigkeit und Erspießlichkeit der Hülffe zu verstehen sey.

Th. 120. Uti quisque Circulus, qui celeri auxilio S. Cæs. Majestatis à subversione liberatus fuit, hanc opem meritò debita submissione agnoscit: Ita invidiosum foret, si de auxilio Circulorum S. Cæs. Majestati iterum factò, quicquam addere vellemus. Requirit id nexus corporis, ut caput membris, & membra capiti subveniant.

§. XVII. Imperator non tantum ut Judex, sed etiam ut Imperator, exequendi facultatem habet.

Th. 121. Potuisset hic §. jure omitti, cum nihil novi contineat, sed ea, quæ jam superius aliquoties rejecimus, tædiose repetat.

Th. 121. Falsum ergo est, quod, si Imperator consideretur tanquam imperator, pro supremo & universali executore merito habendus sit. Falsum est, quod eo respectu, ut omnium Circulorum Director

rektor & supremus Dux, nemini injuriam facere intelligatur, si ob speciales rationes sibi cognitae, (etsi Legibus Imperii repugnantes,) specialem quoque curam exequendi in se reciperet. & ipse aggrederetur, quod aliis committere posset.

Th. 123. Nec ullo juris fundamento opus habent Directoria Circulorum, ut Ipsius Majestatem inde arceant, quæ id saltem agunt, ut jura sua contra invasiones evidentes Judicii Aulici defendant.

Th. 124. Neque Circulorum vires, quæ ad sententias Imperatoris exequendas ordinatæ sunt, illas intervertunt, quando Imperatoriam Majestatem humillimè implorant, ut evidentes Nullitates à Judicio Aulico commissas, annullet.

Th. 125. Ista vero explicatio Recessus Imperii Augustani de A. 1553. §. Und sollen 64. quod Circulorum Directoria ad Imperatorem protinus referre teneantur, QUOTIES manu militari agere velit, jam supra th. 43. 44. rejecta fuit.

§. XVIII. Directoria & Duces Circulorum absque prævia requisitione exequendi officium non interponunt, neque in Con-Status extra Commissionem aliquod jus habent.

Th. 126. Jam supra etiam ad §. VI. th. 34. demonstratum fuit, quod aliquando victi imploratio hodie sufficiat, si periculum in mora sit, ut Directoria circulorum eidem contra nullitatem sententiæ subveniant. Neque id ordinationi executionis disconveniens est.

Th. 127. Neque Directoria Circulorum sibi quicquam juris, vel præminentia præ reliquis constatibus arrogant, aut sub prætextu hujus officii administrandi, aliquid superioritatis in ceteros Con-Status affectant: multo minus S. Cæs. Majestatis supremam jurisdictionem & auctoritatem transcendunt, & ejus sententias irritas reddere volunt, quoties ea jura sua tuentur, præprimis, postquam humillime S. Cæs. Majestatem de cassandis nullitatibus evidentibus implorarunt.

Th. 128. Denique proprè dici nequit, quod sententia in judicio Aulico nulliter lata, & ex studio partium nulliter executioni mandata, sit *Sententia Imperatoris*.

§. XIX. Directores Circulorum reverentiâ Majestatis Imperatoriæ, ne ejus Sententiis violenter resistent, obligati sunt.

Th. 129. Per allegationem nullitatis sententiæ in Judicio Aulico latæ, atque executionis contra Leges fundamentales ab eodem judicio adornatæ, *Directores Circulorum obsequium, fidelitatem, honorem & summam observantiam, quam S. Cæs. Majestati, tanquam Principes Imperii & Vasalli, jurarunt & debent, neutiquam violant.*

Th. 130. Neque *moliuntur aliquid contra Imperatorem*, quando jura sua quovis modò, etiam armis, in causis magni momenti & ubi periculum in mora est, tuentur, & præjudicia aliàs secutura, declinant, præprimis, si *omnia statim ad Imperatorem referant*, ab ipsoque petant, ut Commissarium denominet, qui pendente lite Regimini temporali à Circulo constituto, præsidere, illudque dirigere possit, ac præterea justas expeditionis suæ rationes reddant.

Th. 131. Unde rursus ab Autore impertinenter contra jura Directorum allegantur ex *Recessu Imperii Augustiani de A. 1555. §. Wir setzen / ordnen und wollen. 43. & §. Und sollen in oberzählten. 46.*

Th. 132. Jam supra aliquoties etiam refutatum fuit, quod *Ducum Circularium officium etiam exteris committi possit. Et parum convenienter asseritur, quod Directores Circulorum in ipsa executione nihil, nisi S. Cæs. Majestatis mandatarios, agant, qui jus exequendi ex pactis Legum Imperii obtinuerunt.*

Th. 133. Denique, nec *Directores circulatorum Commissioni non commissæ ultro se ingerunt, aut contra sententiam, cujus executionem sibi committendam desiderant, agunt, qui sententiæ evidentes nullitates allegant, & contra has jura sua defendunt.*

§. XX,

§. XX. Probatur exemplis, Imperatori facultatem exequendi ad Directoria Circulorum non esse restrictam.

Th. 134. Exempla non probant, sed illustrant, & in quaestionibus juris non exemplis judicandum, sed Legibus.

Th. 135. Valent eadem aliquid exempla ad probandam possessionem, quoties inter eos lis est, quorum causa in judiciis ventilatur. Hic enim possessorium & petitorium recepta sunt. At controversia inter Imperatorem & Status ad eas pertinet, quae solo iudicio sanae rationis subsunt. Hic nulla differentia inter petitorium & possessorium.

Th. 136. Sed nec probare potest exemplis Autor, quod probare intendit. Totus enim hic §. jaectantiae multum, veritatis nihil continet.

Th. 137. Jaectat initio plura & innumera praedicta allegari posse, quae probarent, Imperatoris potestatem exequendi ad Directoria Circulorum, non esse adstrictam. Sed ne unicum quidem, quod huc pertineat, afferre potest.

Th. 138. Exempla Regis Danicae, ratione Comitatus Oldenburgici, & Electoris Palatini, vel ipso Autore concedente, huc non pertinent, quia facta illa ad apprehensionem possessionis, non ad executionem pertinent sententiae. Inter quae duo ingens est differentia.

Th. 139. Quod verarum executionum exempla attinet, bene facit Autor, quod innumera causarum privatarum praedicta omittat, non eò, quod in illis forte comprobationem publicam desiderare possent, qui nodos in scirpo querunt, sed, quod homines, maxime à partibus liberi, facile agnoscant, ea huc non pertinere, cum ex legibus Imperii executio causarum privatarum, (i. e. ad mediatos pertinentium,) non regulariter ad Directores Circuli pertineat, sed ad cujuslibet Magistratum, seu Principem.

Th. 140. Exemplum verò illud unicum de executione Civitatis Donawertensis, quod tandem Autor post multos thraasonismos adducit, vel ideò nihil probare posset, quia ipse fatetur, huic actui publicè & privatim reclamatum fuisse, ut adeò exinde, quod in Instrum.

strum. Pacis Art. 5. nihil de modo exequendi memoratum fuerit, nihil inferre contra Directores Circulorum possit autor.

Th. 141. Reliquas assertiones vanas & falsas in hoc §. imò & in sequentibus contentas, præterimus, non quod eas concedamus, aut approbemus, sed quod contineant veteres cantilenas, supra aliquoties jam refutatas. Si toties contradicere vellemus Autori, quoties tales absurditates hîc & in sequentibus immiscet, causam haberemus metuendi, ne chartam, tempus & patientiam Lectorum perdamus.

§. XXI. **Distinctio vis directivæ & compulsivæ in executionibus adhibendæ.**

Th. 142. *Distinctio inter vim directivam & compulsivam*, uti nec in aliis controversiis ullum genuinum usum habet, quam ad sententias ineptas & solis autoritatis præjudiciis subnixas, declarandas, ita nec hîc eam agnoscere possumus, præprimis cum Leges, executiones sententiarum Directoribus Circulorum mandantes, eam distinctionem non admittant.

Th. 143. Interim nec ipsa distinctio Autori quicquam profutura est ad scopum, quem quidem clam intendit. Quis enim unquam audivit, quod Doctores ejusmodi distinctione utentes, *comminationes & dictationes pœnarum* gravissimarum, ad *vim directivam*, & non compulsivam, retulerint. Nostro tamen placuit, talia ad directivam referre. Quæris causam? observabatur enim mente, quod forte Lectores quæsituri essent, ad utram vim pertineat, si Commissarius, omisso Directorio Circulorum datus, parti alteri persuadeat sub comminatione gravissima Banni Imperialis, ut loco cedat.

Th. 144. Ut taceam, quod in executione judiciali vis directiva, quocunqve etiam modo concipiatur, plane locum sibi non vindicet, cum omnis executio detur in renitentem, & qui sententiæ sponte satisfacere nolit.

§. XXII. **Sententiæ executio non sistitur, quamvis pro reformanda sententia supplicatio in Consilio Aulico interposita fuerit.** Th.

Th. 145. Quæ hic & in sequentibus §§. Autor de remediis suspensivis executionis tractat, planè à themate, quod exponere vult, aliena sunt, nec ad officium Directorum Circuli in executione sententiarum pertinent. Quid enim? An Directores Circuli supplicatione, Restitutione in integrum, &c. usi sunt? aut, an has demum rationes in querelis suis attulerunt? aut, an hisce opus est, ubi aliæ & graviores adsunt nullitates insanabiles?

Th. 146. Quoniam tamen Autor sedulò videtur operam dedisse, ut specimen ederet artis, assertiones falsissimas pro veris venditandi, licebit & nobis contradictione brevi, sed evidenti, uti.

Th. 147. Igitur per remedium Supplicationis in Consilio Aulico suspendi executionem, ex Instrum. Pac. Osnab. Art. V. §. 54. patet, qui non sublatus est per Recessum imperii novissimum §. 124. sed expresse confirmatus in Capit. Leopold. Art. 42. & in Capit. Josephi Art. 41. Consentiant Doctores communiter, præprimis Mauritius, Nicolai, Fritschius, Sprengerus, Textor, Schützius junior, Schwederus, &c. citati Uffenbachio de Consil. Cæs. Aulic. c. 33. fol. 268. seqq.

Th. 148. Qui simul notat, quod Status in Comitibus annorum 1653. & 1654. permittere omnino noluerint, ut supplicatio Aulica amittat effectum suspensivum, & præjudicia practica, hanc opinionem confirmantia, adducit.

Th. 149. Torturæ Autoris, quas magnâ operâ hîc adhibet Recessui Imperii novissimo, ut derogationem Instrumenti Pacis exinde exprimat, & quas item adhibet Capitulationibus Imperatoriis, tanti non sunt, ut nos detineant. Quod si quis forte robur aliquod iis inesse putet, ei in conflictu Disputatorio, vel aliâ occasione, satisfieri poterit.

Th. 150. Notat equidem Uffenbachius d. l. quod non obstantibus Legibus Imperii publicis, innumeris DD. testimoniis, Statuum gravaminibus, nec non diversis præjudiciis, nihilominus Judicium Aulicum ad hæc omnia non respiciat, *mache die geringste reflexion nicht mehr darauf.* Sed hæc quidem facti sunt.

E

non

non juris, adeoque ad nos non pertinent. Sunt talia, de quibus jam ultra hominis memoriam conquesti sunt Status Imperii.

§. XXIII. *Petitio Restitutionis in integrum non semper suspendit executionem.*

Th. 151. *Esto: Si non semper, ergò aliquando. Igitur quæstio adhuc remanet, annon in eo casu suspendere debeat, cujus causa scriptum hoc suscepit Autor.*

Th. 152. *Neque citata Ordinatio Judicii Cameralis Part. 3. tit. 52. quicquam causæ illi obest, cum saltem ibi disponatur, quod restitutiones per calumniam, aut dolosè, vel ex causis jam deductis, vel aliis insufficientibus, petitæ, executionem suspendere non debeant. Jam quid putat Autor, an, ubi Sententia inauditâ parte lata, & post executionem demum publicata, causa restitutionis frivola est?*

§. XXIV. *Cautionis interponendæ necessitas non impedit executionem.*

Th. 153. *Si circumstantiæ facti lucem non accenderent, nescires, quid Autor hõc §. vellet. Scilicet, in Recessu Imperii noviss. §. Nach Berathschlagung des puncti Appellationis. 124, disponitur, quod Revisiones Camerae in posterum non debeant effectum suspensivum habere, si modò cautio sufficiens à parte, quæ sententiam obtinuit, præstetur. Ne verò occasio detur Revisionem petenti, per Disputationes super sufficientia Cautionis executionem per indirectum suspendendi, certa norma præscribitur ibidem, quomodo Camera in arbitrio de sufficientia Cautionis procedere debeat. Hæc etiam si observetur, non poterit tamen non sensibile & non contemnendum temporis spatium, ad eandem requiri.*

Th. 154. *Postquam ergo Autor d. §. dict. Recessus, etiam ad Consilium Aulicum applicare voluit, (quod modò rejecimus,) sensit, causæ cujus patrocinium agit, valde obesse, quæ*
Ibidem

ibidem de modo arbitrando super Cautione statuuntur. Inde illi hic paragraphus natus est.

Th. 155. Hanc objectionem, ut Autor tollat, putat sufficere, si asserat, *determinationem Cautionis interponenda Judicii Cameralis arbitrio ibidem relinqui, ac simile arbitrium postea Judicio Aulico ex rationis æqualitate vindicat.*

Th. 156. Nos, uti istam æqualitatis rationem non admittimus, per modò dicta: ita si eadem foret admittenda, nihil hoc Autori prodesset, cum arbitrium Camerae in dicto §. Rec. noviss. non sit liberum, sed multis modis, & certo casu etiam ad Directoria Circulorum restrictum. Quæ omnia antequam legitime expendantur, necesse est per notabile temporis intervallum executionem suspendi debere.

Th. 157. *Judex*, qui secundum Imperii Leges judicat, non opus habet *vigilantia*, ne periculum indemnisationis incurrat; At, qui leges Imperii evidentibus nullitatibus vult eludere, incurrit majus periculum turbatae pacis publicae.

Th. 158. Non simpliciter verum est, quod *Cautionis sufficientia expeditior sit, quae ab Electore, Principe, vel Statu Imperii, bonis abundè instructo, praestanda est.* Notum enim erit Autori ex primis juris principiis, quod sufficientia cautionis non saltem aestimetur ex eo, utrum fidejussor sit locuples, sed an etiam facile conveniri possit. At, quò potentior est Imperii Status, eo difficilius esse solet facultas eum conveniendi.

§. XXV. Executionem non suspendi, quamvis pars victa ad aliud iudicium, vel ad Comitiam provocarit.

Th. 159. Ad regulam pertinet, quod *sententiarum executiones, quamvis Principatum, vel Comitatum Imperii concernant, ne quidem ex eo capite impediri possent, quod Electorum, Principum & Statuum suffragiis suffulta non sint, quia ista Electorum & Principum quorundam consultatio in Instrum. Pacis Art. 5. §. quoad Processum, antepen. Imperatoris arbitrio relicta est.* Quod si verò sententia, pariter & executio evidentibus nullitatibus laborent, nemo erit,

arbitror, qui negaverit, Imperatorem laudabiliter facturum, si Electorum & Principum quorundam consultationem executioni ejusmodi præmittat, vel saltem non repudiet.

Th. 160. Si in illis sententiis Imperator consultationem Principum executioni præmittere debet, quibus Principatus, vel Comitatus alicui omnimodò abjudicatur, falsum est, ab istis sententiis longè abesse illas, quibus tantùm possessio interim definitur, discussio autem Domini, aliorumque jurium, in petitorio reservata manet, præprimis, si pars in possessorio obtinens insuper sub- & obreptitiè, vel nulliter, investituram de illo Ducatu, aut Comitatu impetret.

Th. 161. Porrò, quamvis regulariter executionibus præpedimenta non objiciant, provocationes ad Comitata, nec iis soleat deferri, cum Comitata publicis negotiis, Dicasteria autem litibus particularibus decidendis destinata sint; & nullus aliàs provocationum finis esset, sed Comitata processibus obruerentur, si hac via extravagandi non obstrueretur: nihil tamen hæc observatio ad rem præsentem pertinet, & haud dubiè licita erit provocatio ad Comitata, si Sententiæ & executiones Judicii Aulici accusentur evidentium & insanabilium Nullitatum.

Th. 162. Idem dicendum de observatione sequente, quod si hac via aperta esset, libido litigandi tamen, nec in Comitatis, satiari posset, sed ne per mille quidem instantias perveniret, ubi quiesceret, nisi sententiam obtineret, qualem philantia dictaret. Neque enim poterunt sine aperta contumelia & injuria Serenissimi & Potentissimi Directores Circulorum inculpari, quod jura, per Leges Imperii ipsis apertè indulta, tuentes, libidine litigandi & philantiâ laborent.

Th. 163. Esto etiam: quod equissimus Judex non semper pronunciare possit, quod utrique parti litigantium gratum esset, & quod ne Jupiter quidem omnibus placeat, propterea tamen dici nequit, Directores Circulorum petere, ut cælum ruat, si insanabilium nullitatum annulationem humillimè petunt.

Th. 164. Utique nemo Jus, vel autoritatem habet, S. Cæs. Majestati inhibendi, ne sententias suas exequendo jus & justitiam administret, ad quod tamen juramenti vinculo obligata est. Sed, an putat Autor, per Sententias, alterâ parte non auditâ latas, & per execu-

executionem nondum publicatâ Sententiâ, in præjudicium Directorum Circulorum, personæ inhabili commissam, jus & justitiam administrari? aut, annon putat, S. Cæs. Majestatem juramentô adstringi, coercendi prurium turbandi quietem Imperii, in illis, qui talia consilia suppeditant?

Th. 165. Si executio nondum publicatâ Sententiâ recusetur, non potest dici, quod *nimis serò & post amissam victoriam* id fiat.

Th. 166. Denique nec novum, aut inauditum est, quod *judicium, à parte etiam agnitum & imploratum, recusetur, etsi ejus recusationem illa pars post rem judicatam adversario non permisisset, si contigisset, Sententiam pro se excidisse.* Id enim regulariter receptum est, in causis evidentis Nullitatis, v. g. si a dverfus pupillum indefensum sententia lata sit.

§. XXVI. Ut nova Judiciorum forma introducatur, executiones sisti non expedit.

Th. 167. Ita quidem est: *Judicii forma, que omnibus nunquam non placere possit, in hac imperfectione cum Rep. Platonica, optari, non sperari potest.* De eo tamen vellemus nos ab Autore informari, an in Rep. Platonica Sententiæ latæ fuissent alterâ parte non sufficienter auditâ, & publicatæ demum post executionem?

Th. 168. *Satis est utique, interim eam, que obtinet, & diu obtinuit, formam judicii agnoscere sine contemptu, quam licentiam usurpare, Leges Imperii eludendi & aliam judicii formam adstruendi, unde Remp. mox in Anarchiam degenerare necesse esset, quod singulis atque universis gravius longèque periculosius foret, quam si Legibus Imperii vigor, prout hóc tempore ab antiquo receptus est, inconcussus à singulis relinqueretur.* Sed quid ea Directoribus Circuli occidit noster? Illis canat, pro quibus calamum suscepit. An enim ullô tempore antiquo, pariter & novô, auditum fuit, Sententiam ipsô jure nullam post executionem demum publicari?

Th. 169. *Leges & Consuetudines Imperii & iis superstructa iudicia reformare, S. Cas. Majestatis & Comitiorum, non cujusque Circuli, vel partis, operatio est.* Benè hæc omnia, si modò addidisset Autor, eam operationem nec esse quorundam paucorum Consiliariorum Aulicorum, illicitis affectibus palpabiliter indulgentium. An enim unquam Directores Circulorum operationem istam prætenderunt?

Th. 170. Infamis est assertio, & in Status Imperii Serenissimos maximè injuria, quod in Comitibus aliquando tentatum fuerit, ut invictissimus Imperator de Jurisdictione Majestati sue, ab Imperio concredita, in majorem rerum confusionem ad hujus, vel illius, conatus refractarios, tantum remittat, ac judicata sua Directoriorum Circulorum censura subjiciat.

Th. 171. Par injuria est, de Directoribus Circulorum asserere, quod talia extorquere intendant.

Th. 72. *Ad CONSVETUDINEM mutandam, non satis est contra niti, quod nil, nisi Judicis contemptum & periculosum exemplum post se relinquere posset, Judicis indignationem concitaret, & ad tuendam auctoritatem suam, ipsum volentem nolentem adigeret, à quibus omninò abhorrendum est omnibus, qui Remp. turbare abominantur, quod cujusvis fidelis est Civis.* Ita Autor! Sed quid inde?

Th. 73. An Directores Circulorum contra consuetudinem niti voluerunt, & an ullus sanæ mentis homo sibi persuaderet, consuetudinem Imperii esse: Præterire Directores Circulorum in executione, ferre Sententias parte nondum auditâ, eas exequi ante publicationem, &c.

Th. 74. Igitur grave non feret, quod paucis ejus verba mutemus: **Ad LEGES IMPERII** mutandas, non satis est contra niti, quod nil, nisi **STATUUM IMPERII** contemptum, & periculosum exemplum post se relinquere posset, **SEREN. & POTENT. STATUUM** indignationem concitaret, & ad tuendam auctoritatem suam, ipsos volentes nolentes adigeret, à quibus omninò abhorrendum est omnibus, qui Remp. turbare abominantur, quod cujusvis fidelis est **CONSILIARII**. Quid videtur Autori de hac parodia & de ejus applicatione, quam ipsemet relin-

relinquimus? Ergò discat, aliud esse, multa dicendò, nihil dicere; aliud, pauca dicendò, dicere multa.

§. XXVII. Conclusio præsentis Dissertationis.

Th. 175. Possemus simili parodiâ versiculum primum hujus §. facile adversus ipsum Autorem retorquere. Sed sufficiat præcedens. Non possumus tamen non satis mirari impudentiam Autoris, dum ex Instrumento Pacis Art. VII. §. 7. *verba*, ut putat, *adamantina*, in fine addere voluit, *quod nulli Statuum Imperii liceat jus suum vi, vel armis, sine crimine fractæ pacis persequi*, quasi hòc §. non in specie disponatur, de interdicta vindicatione juris sui per instrumentum Pacis transacti, aut postea (in executione videlicet) incidentis, quod ostendunt §§. præcedentes, 3, 4, 5, 6, junctò Art. VIII. §. Gaudeant. 2. Aut, quasi ab illo tempore plurimi publici actus non ostenderint, hanc interpretationem consuetudine esse receptam, si forte ea verbis & menti d. §. 7. non exactè respondeat.

Th. 177. Vel ideò autem pudor detinere debuisset Autorem, ne ista arma adamantina adversus Directores Circuli esse putaret, cum immediatè subsequèntia verba d. §. 7. quæ jubent executiones fieri debere, prout Imperii Leges de exequendis Sententiis constituunt, facile ostendant, saltem illorum armorum esse vim stramineam.

Th. 179. Vult' eqvidem! Autor, pudorem hunc evitare, distinctione *inter Leges Imperii scriptas, & non scriptas*; Sed præterquam, quod modo ostenderimus Th. 171. 172. præteritionem Directorum Circuli, pro consuetudine venditari non posse, & nullus unquam Autorum statuerit, consuetudinem uno facto introduci, tentabimus, an per subsequèntem §. 8. d. Art. XVII. ruborem Autori excutere valeamus.

Th. 180. Ut etiam, inquit, Pax publica tanto melius conservari possit, redintegrentur Circuli, & statim ac undecunqve turbarum, vel motuum, aliqua initia apparent, observentur
ea,

ea, quæ in Constitutionibus Imperii de pacis publicæ EXECUTIONE & conservatione disposita sunt. Videt Autor, constitutionum hic fieri mentionem, non consuetudinum Imperii.

Th. 181. Ita finimus, & quemadmodum in conscribendis hisce thesibus unica nostra intentio fuit, monstrare, quod Autor id, quod probare volebat, non probaverit, sed Statum controversiæ ubiqve mutaverit, ex erroneis præmissis falsas conclusiones deduxerit, contradictiones cumulaverit & perverfis explicationibus Legum fundamentalium, contumeliosis item loqvendi formulis, jura Serenissimorum & Potentissimorum Directorum & Ducum Circuli fugillaverit, & prorsus eliminare studuerit: ita publicè repetimus, nos eo ipso summis juribus, quibus ex pactis publicis gaudet S. Cæsarea Majestas, nihil detrudere voluisse. Submississima devotione Excelsum Imperii caput, Dominum nostrum Clementissimum, omni tempore veneramus, & nihil magis optamus, quam, ut concordia inter Augustissimum Imperatorem & Serenissimos atqve Potentissimos Imperii Status, per tot Publicas transactiones stabilita, indies majora incrementa capiat, nec alterutra pars hominibus, amorem illum turbare volentibus, aures præbeat.

COROLLARIUM.

Christianos, qui verè sunt, velesse dicuntur, non decet, ut dissentientibus in Religione quietè degentibus, nihilq; tentantibus turbulentum, legibusq; contrarium, audeant manus inferre, religionis autoritate abusi. *l. 6. C. de Pagan. & Sacrif. & Templ.*

S. D. G.

00 A 6303

ULB Halle 3
002 928 574




Vb 17

Rehe







IV.
THESES JURIS PUBLICI,
Oppositæ
Dissertationi Anonymi Autoris,
DE
OFFICIO DIRECTO-
RUM ET DUCUM CIRCULA-
RIUM IN EXECUTIONE
SENTENTIARUM,

Quas
Rectore Magnificentissimo,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO,
ELECT. BRAND. HÆREDE &c, &c, &c.
PRÆSIDE
DN.D. CHRISTIANO THOMASIO,
Conf. Elect. Brandenb. & Prof. Publ.
Publico Eruditorum Examini submittit,
JACOBUS FRIDERICUS LUDOVICI,
Pomeranus, L. L. Studiosus.
d. XXIV. Novembr. M. DC. XCVII.
H. L. Q. C.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. SALFELD. Reg. El. Brand. Typogr.

